

T. 107927

C. 1135531

N.

R 344 837

Libro 10. fol. 4-2.

$\frac{1}{772}$

**DISSERTATIO EPISTOLARIS
AD REGIAM ACADEMIAM MEDICAM
NEAPOLITANAM.**

~~7~~
776

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD THEOPHILUM ACCESSIONE MENTIS

MATTHIOLAE

DISSERTATIO EPISTOLARIS

CIRCA INVENTIONEM PULSUS

ANTISDICROTI

TAMQUAM VERI SIGNI FUTURAM

DIARRHOEAM VENTOSAM DEMONSTRANTIS

IN PROSECUTIONEM

INVENTI PULSIFICI SOLANIANI

AD REGIAM ACADEMIAM MEDICAM

NEAPOLITANAM.

AD FRANCISCO XAVERIO CID,

Regiae Societatis Cantabrigiae Amicorum Patriae Socio, Academiae Medicae Matritensis Academico, & Illustrissimi Decani & Capituli Sanctae Toletanae Ecclesiae Hispaniarum Primatis, Excellentissimique & Illustrissimi D. D. Francisci Antonii Lorenzana, Archiepiscopi Toletani Medico.



TOLETI CUM LICENTIA.

A D. Isidoro Martino Marqués, Typograph. Reg. N. D.

DISSERTATIO EPISTOLARIS

CIRCA INVENTIONEM PULSUS

ANTIDICROTI

TAMQUAM VERA SINT FUTURAM

DIARRHOEAM VENTOSAM DEMONSTRANTIS

IN PROSECUTIONEM

TINENTI PULSICI SOLAMIANI

AD REGIAM ACADEMIAM MEDICAM

Quantacumque fuerint aliorum conamina , semper existimavi , mihi vitalis aurae usum frustra datum fore , nisi & ipse in stadio hoc versatus , symbolum aliquod , utcumque exiguum , in commune Medicinae aerarium contribuerem. *Sydehamius in Praefac.*




AD ISIDORUM MARTINI ...
FORBES COM ...

AD REGIAM ACADEMIAM MEDICAM
NEAPOLITANAM.

FRANCISCUS XAVERIUS CID

Illustrissimi Decani & Capituli Sanctae
Ecclesiae Toletanae
Medicus.

 UAM optimè scitis Academici Sapientissimi, nulla via ad Medicinae perfectionem perveniri posse nisi per observacionem! Ideò vestrum institutum est exactas morborum historias describere, signa eorum characteristica notare, equivoca, indifferentia & adventitia distinguere, eorum progressus adnimirè: uno verbo Naturam rimari, contemplari, ejusque leges atentissima sensuum applicatione observare. Sed quis tam requisitis exornatus qui observaciones admodum faciat? Critica Ars varia proponit praecepta difficilia; sed augetur difficultas in Medicina. In hac faciendâ abstrusum adest principium omnium motuum, operationumque productor. Natura enim est. De ejus vi in exequendis motibus, & exercendis mirabilibus actionibus nullus dubitat. Quoties remedio tribuitur operatio aliqua insignis, cujus unicè Natura est? Millies; ne dicam ferè semper. Certus sum nullam vim habere medicamentum nisi Natura supra se sit: idest nec languida, nec effeta, vires habeat, motus suos liberè exercent, & exquisitissimè sua inimitabili magia uti possit. Deponant Medici communem praeoccupationem circa validam remediorum vim & hujus maximae certi fient.

Quis autem sit qui atentè vestigia Naturae sequi sciat, leges cognoscere, & ejus intimos motus penetrare, dubita-

A

mus.

mus. Hucusque celeberrimi in Arte viri & sagaces Naturae scrutatores ut plurimum suos secundarios effectus notarunt, observaruntque. Sic fuere Hipocrates, Sydenhamius, &c. sed palam fiet, quod si relati Medici cum sola postremarum actionum observatione tantam gloriam Arti nostrae comparaverint, & utilitatem aegrotis praestiterint? quantam credere est afferre, qui intimos motus sive primordiales Naturae actiones penetraret? Nemo inficias iverit quantum intercedat discrimen inter cognoscere primarios, & secundarios motus. His percipiendis sufficit attentio mediocri phenomenorum in morbis occurrentium, dum pro illis nec sagax ingenium, nec attentissima sensuum applicatio sufficiunt. Eadem differentia est quanta in re exquirenda adest in ejus cortice subsistere, aut interanea sua scrutari.

Ob summi Opificis beneficentiam concessum id fuit hoc nostro saeculo clarissimo, sapientissimoque Medico Hispano D. D. Francisco Solano de Luque hujus Oevi in Medicina decori, & ornamento. Huic acutissimo ingenio nequivit Natura sua designia celare, nec illius sagacitatem illudere. Hic celebris Medicus observationibus pulsificis ferè immoriens, & de quo jam scriptum est: „Ex Hipocrate excelso, sapientique usque ad me inferiorem, ignorantemque non est, nec fuit Medicus qui nostrae Arti dat, deditque majus lumen quam Franciscus Solano de Luque in ejus systhmate pulsus“, in expiscandis & cognoscendis ejus primordialibus actionibus inimitabilem suam patientiam exercuit tota vita. Scrupulosissima sensuum applicatio in notandis phenomenis, exquisitus tactus, & inimitabilis patientia omnem materiam huic operi tam magnifico quam utili dederunt. His fundamentis erectum fuit superbum atque mirabile aedificium, quod, si videret antiquitas, miraretur, & ratione admirantur quoque Nostri. Hoc enim est inventum per motus pulsus praesagiendi evacuationes criticas & symphomaticas in utroque statu naturali & morbo; sed praesertim in morbis acutis, quibus cum causa morborum ut plurimum in sanguinis, aliorumque humorum ribulo resideat, natura per motus suis viribus, & causae morbificae

3
eae congruentes molitur exernere quae sibi molesta sunt.

Perficitur haec operatio mediis motibus, qui arteriis impressi, fiunt tactui sensibiles eas pertangendo. Talem certitudinis gradum per repetitas observationes acquisiverat, ut raro in praedicendo erraret. His igitur fundamentis inhoerens, & eadem vestigia sequens consecutus fui aliquas nostri clarissimi Inventoris observationes confirmare, alias non solum ob earum obscuritatem illustrare, sed ejus plures fidei gradus addere, alias denique, quae Medicorum animos, nostrique etiam Inventoris ad stabiliendum aliquod practicum particulare praeceptum dirigebant, confutare.

Horum progressuum minimam partem ad vos in sequentibus observationibus mitam. In magnum volumen excresceret epistola, si omnes, quas habeo, mittere velim. Sed antequam id faciam, obviae objectioni occurram. Fortassis dicetis; quis enim hic, qui in recte exequendis observationibus tantam praevidet difficultatem, cum ipse suas tanquam certas nobis proponit? Harum observationum Author non ignorat quantis requisitis instructum esse debere, qui ad expiscandos Naturae motus, eosque rite observandos, ut ex illis aliqua praecepta stabiliantur, se dederit.

Omnes ferè Medici longam annorum seriem enumerantes, paucis exceptis, sola hac ratione experientia se esse instructos autumant. Falluntur equidem, & reliquos fallunt qui sic dijudicant. Certum enim est majori annorum numero factorum majorem numerum obviam sensibus fieri; sed si hi non debite aplicentur, ut talia facta, sicut par est, observentur, non solum experientiam non acquirunt, sed errores suos & anticipatas opiniones magis magisque fovent. Verum quoque est Medicinam esse temporis filiam & non humani ingenii partum, ut optimè monuit Baglivius: sed hic partus non fetus, imò potius informis erit mola, dummodò in Naturae rite motibus observandis, & ejus legibus apprimè intelligentibus tempus non insumatur. Idem oleum, & operam perdunt Medici qui proprii muneris oblitii Naturam observandi, toto corde se dedicant ad vanas, commentitiasque ingenii cavillationes. Expertus loquor, &

tristissimè lugeo frequentèr inveniri Medicos jam ultimo senio confectos absdubiò clarissimorum Authorum lectione instructos, admodum studiosos, & ingenii perspicuitate non destitutos, qui ad aegrorum lectum accedentes delirant, vanissimè loquendo de morbo & ejus causa, tanquàm si corpus diaphanum, & suae mentis aciei penetrabile esset. Sed proh dolor! Toto coelo distant, ut ajunt, horum Medicorum ratiocinia à vera morbi causa.

Sequentes observationes vobis proponam, non ut illis tanquàm utilissimo novo invento Medicorum ignorantiam, desidiam & observationis defectum redarguam, sed postquàm severo examine trutinatae, aequo animo fateamini quid utilitatis aut non; quid boni vel mali contineant, & quid demùm, si typis darentur, Publicum ex illis decerpere posset. Unicum tantùm dicam, praesagia in nostris observationibus facta, & eventu certa redita, talem certitudinis gradum illis dari videri, ut nullus superciliosus Criticus de earum fide vix dubitare poterit.

Quidquid autèm de hoc sit, rogo vos, ut postquàm vestro examine sint decerptae, criterio non me priveris. Sic discam corrigere observationes, quae ulterius mihi occurrant, & reverentèr gratus praecepta vestrà memorabor.

OBSERVATIO I.

D. EMMANUEL MARTINEZ idiomatis latini Magister in Opido, Supercaprasio vulgò Socabràs « hypochondriacus incidit in cardialgiam, hypochondriorumque dolores die 17. Majii anni 1764. à subita aeris mutatione ortos. Circa solis occiduum ejusdem diei pulsum examinavi, & illum intermitentem irregularem cum certis anomaliis quas numquàm tetigeram, vel saltem observaveram. Erat intermitens irregularis quinta, decima, decima nona pulsatione, verùm intermisio frequentior in dextro quam in sinistro brachio. Pulsus mediocritèr tensus, & eodem modo plenus. Verùm quod particulare notabatur, erat quod

ul-

5
ultimam pulsationem, aut quod idem est, intermitentiae
immediatè praecedentem sequebatur alia parva pulsatio, vel
illa pergebat certo motu bispulsationis, non regularis mo-
tus dicroti futuram haemorrhagiam praedicentis, qui-
quidem motus exercetur à centro arteriae ad ejus superfi-
ciem, aut extrorsum, cum hic, quem nunc & imposterum
multoties observavimus, fiat quasi à superficie versus ar-
teriae centrum, quem peculiarem motum immediatè unius
diastolis intermissio sequebatur. Regularem rithmum pul-
sus acquirebat per quinque, decem, & plures pulsationes,
donèc denuo interruptus illo extraneo motu anti-dicroto
(si liceat sic nominari ob motum illum contrarium Dicro-
to) intermitentia sequebatur. Hac finita ordinatis pulsa-
tionibus pergebat pulsus.

Statim ac certus fui de hujus pulsus inordinati constan-
tia, aegro indicavi aliquod notatu dignum ejus pulsum de-
signare, & me deprehendere quandam futuram esse ven-
tris evacuationem. Qualisnam foret determinare non aude-
bam. Asseverabam nihilominus futuram esse in genere eva-
cuationem versus inferiora, cujus materiale, etsi suspica-
bar, quod etiam innui, non certè definiebam materiam
fore elasticam, & ideò aegrotum rogavi ut quidquid etsi
minimum in corpore notaret, mihi refferret, nihilque tam-
quàm inutile relinqueret, cujus particeps non essem.

Optimè circa hoc instructus aeger, duabus tantum ho-
ris elapsis aliquoties eructavit per os aliquos flatus expel-
lendo: deorsum etiam expulsa fuit magna copia materiae
elasticae cum murmure, rugitu, & ventris borborigmis,
quod disparuit finita evacuatione. Nullam praeter dictam
evacuationem habuit, nec quod mirum, regularem sterco-
ris diariam. Manè erat pulsus naturalis absque intermissio-
ne, aut alio irregulari motu.

Ocasionem nobis dedit haec observatio, cum aliàs cer-
tus essem omne Naturae conamen certis ac determinatis ar-
teriae motibus designari judicandi praedictum motum fortè
fore quemdam ex illis conatibus, quibus sagax Natura fla-
tuosam materiam per superiora, aut inferiora expellit, &

-50P

re-

revera non me fefellit conjectura, ut sequentes demonstraht
Observationes.

OBSERVATIO II.

FEBRE ardente spuria laborabat MARIA DELGADO sexagesimum jam quartum annum agens cum pulsu forti, & aliquantulum celeri, lingua sicca; in principio ferè nulla sitis: augmento, & statu clamosa: vigiliae pertinaces, & transeuntia, leviaque adèrant deliria. In medio linguae conspiciebatur quaedam fascia rubicunda, quam ex utràque parte cingebant cimbriae albo-flavae, ut plurimum signum quod hanc febris indolem comitatur. Secta vena quotiès aetas, & vires postularunt, toto morbi cursu solùm copiosos haustus diluentium, refrigerantiumque praescripti unicè attentus per quam regionem aliquam niteretur Natura evacuationem. Circa quintum diem pulsus intermitens irregularis aparuit, cujus intermissiones longissimae erant decem & octo, triginta, & supra quinquaginta pulsationes; aliquandò breviora intervalla erant. Praesente hoc pulsu dubitabam an mortem proximam, an verò aliquam diarrhoeam indicaret. Suberat mihi dubium scienti senibus admodum familiarem esse talem pulsum, & in his intermittentiam non certè ac in juvenibus motum materiae morbificae versus inferiora significare, & aliundè simili pulsu plures aegrotos mori. In hoc incerto iudicio totum opus Naturae mandavi, nihil agens nisi quod haec conaretur. Intermissiones de die in diem factae fuere breviores, & sic ventris evacuatio jam ferè instabat. Venter solutus fuit die nono; verùm subsistebat intermittentia decimo & undecimo, quod exitus incertitudinem augescebat, praesertim cum viderem illa evacuatione nullum levamen aegram percipere. Sagacissimè & admodum ordinatè in hoc opere procedebat Natura. Haec sapiens Medicatrix legibus corporis ab Optimo Summoque Opifice stabilitis sese acomodans, verens (si fas est loqui) nè subito laberentur vires, si tribus aut

qua-

quatuor conatibus, id est ventris motibus, perficeretur huius morbi iudicium, quasi vires computans partitis vicibus, & non unica opus fecit. Pluribus diebus iudicatus est morbus usque ad quatuordecimum, soluta alvo singulis his diebus quater aut quinquies. In quodam horum observavi, quibus crisis per secessum celebrabatur, illum pulsus motum, quem anteriori observatione innui, & cuius significationem suspicabar, flatuosam diarrhoeam indicare. Statim praedixi ventris solutiones comitem habituras ingentis quantitatis materiae elasticae explosionem proxima illa nocte, quod ita evenit praecedentibus & concomitantibus magno murmure, borborigmisque ventris. Disparuit omne duabus deilectionibus ventralibus materialis liquidi, & magnae copiae flatuosae materiae per secessum una explosae. Pulsus erat mollis.

OBSERVATIO III.

Novembri elapsi anni 1764. erisypelate facie, & capite laboravit MARIA PASQUAL DOMINICI CELORRIO conjux quadraginta annorum aetatis. In morbi declinatione circa undecimum dum videbatur ab omni periculo liberam remissis symptomatibus, & majori parte resoluta erisypelate pulsum intermitentem frequentissimum tetigi secunda, & tertia pulsatione. Relatam intermitentiam, quae unius diastolis erat, comitabatur anti-dicrotum. Percepta tam longa intermissione, & quadam macula in fronte visa, quae gangrenae speciem aemulabatur, verebar merito fallacem rediturum vaticinium si diarrhoeam praedicerem. Aliquam spem adhuc sinus fovebat diarrhoeam esse futuram, sed macula illa in fronte percepta intra prudentiae terminos praedictionem reprimere dictabat. Nihilominus Artis honos postulabat aliquid indicare de quo Natura meditabatur, etsi non assertive. Sunt aliquando morbi tam impliciti, & circumstantiarum variae combinationes, ut Medicus etsi sagacissimus nihil certe determinare audeat. Et
sic

sic inter timorem & spem fluctuans Parochum admonui frequenter invisere aegram, quia si elapso duarum horarum spatio diarrhoea non succederet, administranda illi Divina Sacramenta necesse esse. Citò ea aparuit, & per totum diem substitit. Parva erat humoris quantitas quam deponebat. Unumquemque excretandi conatum, deposita parva humoris aut stercoris copia praecedebat aut sequebatur ingens flatuum quantitas pedendo explosa. Praesente intermitentia omni remedio abstinui praeterquamquod toto morbi decursu ter secta vena in principio tantum emulsionibus ex quatuor seminibus frigidis aquis blandè diaphoreticis, resolutivisque extractis usus fui.

OBSERVATIO IV.

DUODECIMO Julii 1765. JOANNEM CASADO Opido „Calderuela“ invisi. Primo pulsus exploratui mihi videbatur anti-dicrotum notasse. Intermitentia ferè imperceptibilis aparebat. Postea denuò pulsum longo tempore sum perscrutatus, & certior fui factus motus anti-dicroti verè perceptibilis parvae irregulari intermissione juncti. Studiò & anxie quaesivi an per secessum explosa fuerit praeternaturalis flatuositas. Dictum fuit: ita fuisse. Addiditque aeger se multoties miratum ingentem flatulentiam ab illo explossam maximè dum venter solvebatur. Indicavi subsequituram adhuc esse similem evacuationem stimulo jam ventere ad exonerandum. Sic contigit. Tertio die à prima apparitione anti-dicroti adhuc subsistebat peccularis ille motus parva intermitentia. Hoc signo admonitus secuturum esse motum flatuosum versus inferiora parva copia praedixi. Respondit eventus. Pulsus praeter dicta mollis erat.

OBSERVATIO V.

CIRCA finem Majii 1766. Femina quadraginta annorum pleu-

9
pleuritide laborabat. A morbi initio pulsus verè anti-dicrotus aparuit cum longi intervalli intermitentia, verùm regulari ordinataque ad decimam tertiam & ad decimam quintam in utroque brachio. Coram HIERONYMO SANZ Chirurgo innui, mihi repetitis observationibus constare intermitentiam huic motui anti-dicroto junctam, vel si vobis magis arrideat, dicroto versus arteriae fundum facto, veram significationem diarrhoeae flatuosae Medicis dare. Duobus transactis diebus quin illam inviserem, dùm ei tertio accedi, postquam illo tempore magnam materiae elasticae copiam deorsum explosisset, praesertim cum alvum solvebatur, adhuc intermitentia cum comite illo ictu caprizante manebat intermitendi modo ordinem servando quarta pulsatione utroque in brachio. Idem praedixi. Vaticinio responso eventu intermitentia evanuit. Pulsus molitiae mediocris & aliquantulum plenus. Ante undulationem nulla percipiebatur intermissio, quae autem illam sequebatur longi erat intervalli. Toto hoc tempore nulla alia ventris dejectio facta praeter consuetas.

Supra dixi, cum comite illo ictu caprizante " ut designarem talem pulsum anti-dicrotum admodum similem videri caprizanti Galeni, aut fortasse eundem esse de quo dicam, si vobis libeat, quod sentio. Circa hoc latè disseram vobis annuentibus, & per litteras mihi id significantibus.

OBSERVATIO VI.

E Risipelatis statu, quo Majii mense anni 1766. conflabatatur senex septuaginta annorum, & circa ejus quoque initia perceptibilis fuit anti-dicrotus longa intermitentia comitatus. Cum senili aetati admodum familiaris sit hujus pulsus idea, dubius haesi verens, nè si eam praedico-rem, diarrhoea veniret. Aegro ad salutem revocante, & pulsu ad pristinum suum naturalem statum redito, cognovi anteriores illas modificationes pulsificas illius tempera-

menti non esse pecculiares. Idèd anxie quoesivi, an aliquam praeternaturalem flatuum explosionem sursum aut deorsum aeger habuerit. Hic sanctè fassus est per plures dies se deorsum magnam flatuum copiam explosisse, quod erat miratus. Ingenuèque fateor magna diligentia & penetratione opus esse aliquandò in Medico, ut absque erroris periculo praedictionem vulgi opinioni subjiciat.

OBSERVATIO VII.

T Riginta annorum vir quadam inflammatoria dispositione circa sinistrum hypochondrium aegrotare videbatur, quam sitis, lingua exusta, pungitivus dolor in lienis regione, & acuta febris significabant. Quinquies aegrum in-visi toto morbi decursu. Prima inspectione pulsus jam erat manifestè intermitens anti-dicrotus carpo dextro modo quo pluries notatus est praecedentibus observationibus. Vix intermissio perceptibilis erat. Quamobrem explosiones elasticas per inferiora praedixi. In aliis inspectionibus, quaedam frequentiores tertio die fuerè, erat pulsus simili modo anti-dicrotus aliquo discrimine, cum in majori aut minori hujus differentiae pulsificae perceptibilitate. Ex hoc circumstantiarum concursu jam plures jam paucas alvi cum parva, aut magna stercoris copia cum nulla, pauca, aut pluribus explosionibus flatuosis praedicebam absque errore. In ultima inspectione aparuit pulsus similis omninò illi, qui ut plurimum purgationem uterinam indicat. Sic enim erat. Post ultimam diastolem quam immediate sequebatur motus ille vibratorius versus arteriae centrum parum perceptibilis, parva intermitentia notabatur. Hanc sequebatur quaedam considerabilis undulatio in centro arteriae absque ulla sensibili dilatatione. Moveri arteriam videbatur veluti perreptando. Melius dicam, hanc non moveri, imò potius immota manente sanguinis columna à tergo pulsa in tubo arterioso quasi corpus solidum movebatur: ad modum quasi per tubulum membranaceum quoddam liquidum exten-

no impulsu transmititur; quo in casu forinsecus digitis applicatis percipitur quidam motus vermicularis sive serpentinus. Quae evacuatio hanc peculiarem pulsus modificationem secuta fuerit, ignoro, cum in posterum aegrotam non inviserim.

OBSERVATIO VIII.

QUADAM anxietate, & doloris sensu in ventris regione conquerebatur EMMANUEL XIMENEZ 50. annos agens, significare nesciens, quid eum oprimeret, sed indeterminate querebatur ineffabili ventris angustia. Pulsum exploraui, & inveni anti-dicrotum intermitentem cum peculiari circumstantia anti-dicrotum motum intermitenti superiorem esse cum in longiori temporis intervallo, tum in ejus perceptione. Hinc diarrhoeam praevidi, quam intermissio in genere indicabat ad particularem flatuosam cum nullo, aut admodum paucis excrementitii contrahendam esse. Sic praedixi, & ita contigit; cum notabili peculiaritate, determinatum à me fuisse tempus, quo diarrhoea erat ventura, quod breve fuit. In genere pulsus per 3. aut 4. dierum spatium mansit innordinatus tam in modificatione anti-dicrota quam majori aut minori duratione. His attentus varietatibus, convinatisque occurrentium circumstantiis certo definiebam, statoque tempore determinabam, qualisnam futura esset diarrhoea, an stercorosa simplex, an simplex ventosa, an denique utriusque materiei mixta.

OBSERVATIO IX.

ELISABET MORENO 50. annorum tertio die pleuristici doloris dextrum latus occupantis sputis bilioso-sanguineis pulsum habuit anti-dicrotum intermitentem, & ei similem, quem tamquam biliosarum dejectionum signum describit Theophilus Bordeus. “Cum mihi videretur lon-

gioris aetatis esse aegram, & fortassis fore intermittentiam peculiarem illius caracterem (ut ferè commune est omnibus, qui sexagesimum annum atigerunt) secta fuit vena ex cubito lateris affecti. Duabus horis elapsis soluta est alvus aliquibus biliosis dejectionibus flatuum copia, qui quoque expulsi fuere eructationibus. Quarto die intermittentia & particularis modificatio anti-dicrota evanuerunt. Non ut ego suspicatus aetatis esse proprium, sed inferioris evacuationis signum relatam modificationem agnovi, omni certitudine aseveravi anteriori die aegram per secessum exploxisse flatuum copiam cum liquidis humoribus mixtam. Quinto iterùm intermittentia frequens aliquando una, duabus, aut tribus subintransibus pulsationibus facta fuit sensibilis notabili arteriae explosione, aut motu anti-dicroto in prima inferiorum pulsationum, & intermittentia inter primam dilatatam, & ultimam inferiorem. Secutae fuerunt biliosae spumosae ventris evacuationes cum rugitu, murmure & ingenti flatuosa explosione. Perseverarunt praedictae evacuationes aliquibus diebus cum hujus pulsus praesentia usque quo evanido arteria suum naturalem rithmum acquisivit.

OBSERVATIO X.

S Eptembri mense anni 1769. diarrhoea laborans **FRANCISCUS ANDREAS** Aedilis munus obtinens auxilium a me petiit. Tetigi pulsum ut explorarem. Percepto anti-dicroto cum parva intermittentia suasi non solùm ei noxiam esse illam evacuationem, imò potiùs summè utilem, & adhuc innui perseveraturam esse ventris borborigmis praecessam, quae in explosiones flatuosas terminaret. Et ideò utilis non erat adhibere remedium ad illam sistendam, sed Naturae opus ab illa inceptum committere ad ejus perfectam consumationem. Prima nocte ingens intestinorum murmur adfuit aliqua jactatione, quod sedatum duabus depositionibus liquidis ventralibus, &

ma-

majori ex parte flatuosis sine imposito diarrhoeae, quae per tres dies aegrum molestabat.

OBSERVATIO XI.

Observationi 9. admodum simile est quod Novembri elapsi anni 1782. evenit in FRANCISCA PASTRANA plusquam septuagenaria D. PETRI MORENO Oeconoma hujus Sanctae Toletanae Ecclesiae Hispaniarum Primatis Portionarii. Quadam tenebrosa vertigine tentata graviter fuit. Nec corpus movere, nec erigere caput poterat quin objecta circumstantia rotari ab illa viderentur. Hanc passionem comitabatur pulsus anti-dicrotus cum omnibus illis anomaliis jam relatis & characteribus illi congruentibus, qui certo determinant moliri Naturam quamdam materiae elasticae evacuationem jam sursum jam versus inferiora. Cum aegra jam ferè octuagenaria esset, & talis pulsus modificatio familiaris sit hac aetate constitutis, dubius hoesi nihil certe determinans circa enuntiatam ventris expurgationem. Solum tamen innui talem pulsum, si non occurreret senilis aetatis circumstantia magnam materiae elasticae explosionem per inferiora, & superiora designare. Judicabam igitur differentiam illam anti-dicrotam fortassis aetati propriam esse posse ut plurimum accidit. Verum eventus demonstravit non esse aetati propriam, sed verum illum characterem evacuationem flatuosam versus inferiora significantem; cum per plures dies, eadem pulsus idea subsistente ingens flatuum quantitas per hos eructando, & infra pedendo explosa fuisset simul cum aliqua excrementitia dejectione; donec omnia evacuata ad naturalem statum pulsus redierit, nunquam amplius, quod sciam percepta anti-dicrota modificatione.

Ferè infinitae sunt observationes, quas in hujus inventi pulsifici confirmationem adducere possem, sed suprarelatae sufficient. Tantum alias duas duorum Amicorum hic subnectam, ut nè judicetis mihi unice esse concessum tales

les

les pulsus observare, distinguere, & his signum recipere ad diarrhoeam ventosam praedicendam. Plures sunt, quibus meas observatione communicavi. Ex his aliqui increduli manent, alteri aliquem praebent assensum; alii denique omnem fidem cujus capax est hoc inventum, praestant; potissimum quos instructos reddidi jam mortua jam viva voce, & qui ob familiaritatem conditionis mea eandem apprimè callent. Harum prima erit quaedam relatio mihi facta à Dom. Joachino la Peña Chirurgo egregio, acutoque ingenio pollente mihi amicissimo, cujus amabili sodalitate per octo annorum curriculum frui sum. Hic insignis Chirurgus, & consocius meus in laboriosa, abdita pulsum indagine sequentem observationem in nostri inventi comprobationem mihi retulit 29. Junii 1769.

OBSERVATIO XII.

SCias amicissime, antidicrotum pulsus motum toties à nobis observatum, & tamquam diarrhoeae flatuosae certum indicem utriusque consensu habitum, hodie manifestò apparere in EMMANUELE XIMENEZ simili modo ac aliquoties utrique vidimus, & observabimus. Paucis elapsis diebus ad me venit Opidum Aquilarense, vulgò, Aguilar de Cervera ò Alhama, ubi tunc Medicinam exercebam, & asseveravit evacuationem flatuosam à praedicto pulsu indicatam, ut nobis per repetitas observationes constabat secutam fuisse iisdem circumstantiis, ac pluries mecum invisens observaverat & me auscultans praesagire. Pulsus praeter explosivum motum naturalis adèrat.

Sequens haec & ultima observatio non minus quam praecedentes indicis certitudinem probat. Communicata nobis fuit à Doctore ISLA, cui meas observationes à illarum initio cum reflexionibus, quae mihi circa eas facere videbantur, communicavi.

OB-

OBSERVATIO XIII.

Vestram curiositatem adimplere desidero circa quod de tuo pulsantanti dicroto observavi: igitur meritò tibi jure debetur hujus proedii primus fructus à nullo quem sciam, nisi à te optimè exculti.

Vere proximè elapso senex quidam post labores, exercitiaque immoderata decubuit lateris dolore laborans. Incepit morbus rigore: secuta est febris: acutus dolor in dextro latere versus veras costas adèrat: tensio quoque dolorifica cum quodam vomitus conatu infra Xiphoidem: os amorum: lingua flavo-alva, fastidium, sitis parva, tussis humida, & frequens sputis seroso-sanguineis: difficilis decubitus super affectum latus: spirandi difficultas non magnae erat incommoditatis. Cutis arida cum squalido calore: capitis gravitas, vigiliae: coriza. Ad rubras urinae tendebant, turbabanturque. Febris quae manifestè remissionem habebat octo horarum spatio circa solis occiduum augebatur notabili symptomatum ingravescentia. Ab initio pulsum cum aliquali duritie observavi: verùm circa tertii diei finem regularis intermissio apparuit decimo sexto & vigesimo quarto idè absque ulla alia irregularitate. Ante hanc diem jam aegrotò propinaveram emeticum secunda, & in declinatione accessionum haustum pectoralem syrupo althoeae confectum, lateri dolenti imponens verbenae cataplasma à Geofroy descriptum, omnique hypogastricae regioni emmolientia, & blandè atenuantia fomenta à purgatione liberis diebus. Omni quarto & quinto frequentior erat intermissio pulsifica: igitur ad tertiam, quartam, & quintam pulsationem percipiebatur, & illa injunctus anti-dicrotus motus. Praeterea quaedam irregularis inaequalitas quo ad omnes pulsus differentias, quam modificationem nullo alio modo exprimere poterò quam verba „ Petri Salii “ notando, quae accuratè hunc pulsum describunt. „ In hujusmodi obstructionibus magnae, & parvae; celeres, & tardae; rarae „ & frequentes; validae & imbeciles adsunt pulsationes, „ in-

inter quas aliquae decurtantur, aliquae nonnumquam intermitunt aliquae intercidunt: in eadem autem pulsatione saepe est inaequalitas quo ad plures ejus differentias. In hoc ocurrentium syndrome sensibilissime percepit, dum terminabatur contractio arteriae, vel finita systole, quemdam bisferientem aut resilientem motum in fundo tubi anteriori ex diametro illi oppositum, qui dicrotum constituit. Circa hanc pulsificam differentiam, & ejus causam alia occasione, quod sentio, dicam, & amplius hanc doctrinam elucidabo. Quod nunc omitti non debet est, hunc pulsum me quasi manuduxisse ad aegrotum felici termino conducendum. Adstante praedicto pulsu unciam unam diacatholiconis cum rhabarbari dragma in jusculo exhibui & secutis aliquibus ventris evacuationibus, & ingenti flatulentia sursum & deorsum sanus evasit. Hanc observationem ad me missit 12. Decembris anni 1766.

Manca, mutilaque videtur esse praecedens observatio. Ita fateri debet. Nam etsi apparuit verus anti-dicrotus, & secuta indicata evacuatio; nihilominus aliqua ratione purgantis operationi tribui potest. Praeter hoc meis satis affinis est.

De observationibus sufficiat. Verum si alias à me petatis, quae hoc signum omni certitudine determinent, extraque omnem aleam ponant tanquam verum diarrhoeae ventosae indicans plures adducere potero, non solum hujus signi comprobationis causa, sed quod magis ad omnes ferè evacuationes trium regionum praevidendas: non unice persistens in colatione evacuationum pulsificis cum praecedentibus motibus, ut fecit Bordeus, sed interanea Naturae penetrans, & ejus motus callens absque fallacia praedicere evacuationes quacumque regione, & quocumque modo secuturas. Quod faciam, si vobis libeat, & vestrum mihi imponatis praeceptum.

Mito etiam ad vos opus nuperrime à me editum vernacula lingua conscriptum, cujus Titulus: Tarantismo observado en España, &c. certis, raris, mirabilibusque Historiis probatum, & postea cum tarantismo hodie observa-

to

10 in Nosocomio Generali Matritensi in Ambrosio Silvan
13. aut 14. annorum adolescentulo confirmatum Vix quin-
decim aut viginti dies ab hujus operis publicatione elapsi
fuerant, dùm en mirabilem casum illius numerosissimi Po-
puli oculis obvium, cujus relationem praedictum opus co-
mitatur. Praecipuum istius operis argumentum, & labor à
me impensus in eo struendo est evanidas facere commen-
titias cavillationes, & praecupationes plurimorum AA. pre-
sertim Gallorum qui absque experientia & ratione, solum
vanis hypothsesibus innixi, & quod certius, quia suis in
regionibus adhuc non est observatus Tarantismus, & for-
tasis numquam observabitur, non quia deficient Tarantu-
lae, sed quod venenatae ita non sunt ut Hispanicae, vani-
loquè, confidenterquè asserunt hujusmodi Historias ficti-
tias esse, & in Rusticorum, Idiotarumque ore solum in-
veniri. Quid de utroque opusculo sentiatis im-
patientè spero. Toleti die mensis
anni 1787.